

Obeſſe videar mediocri hac ſapientia.

Tu quoq; vereris ne quid in te perpetrem.

Non hic mearum, ne time, rerum eſt ſtatus,

Reges ut à me metuere deceat, Creon.

At tu quid in me perpetrasti iniquius?

Natam elocasti cui tibi lubitum eſt viro:

At ego maritum proſequor odio meum.

Nec temerè opinor iſta geſſiſti: neq;

Rebus ſecundis invideo: quin nuptias

Facite, beati vivite: latebras fugæ

Permitte tantùm hic. læſa licet, injurias

Muſſabo: diſcam cedere melioribus.

Specioſa ſunt hæc, blandaq; auribus, tamen **Cr.**

Vereor, re-poſtum ne coquas animo malũ,

Atq; adeo, tanto credo quàm pridem min9,

Præcipitis iræ mulierem, aut etiam virum, ,,

Vites facilius, quàm modeſtum atq; tacitũ. ,,

Deſine morandi fando cauſas neçtere.

Abi: ſtatutum eſt ita: nec ars ulla faciet

Iſthic ut habites, me perofa hoſtiliter.

Per genua quæſo, perq; deſponſam recens. **Med.**

Ah, verba perdis. neutiquam perſuaſeris. **Cr.**

Et me repelles, haud reveritus ſupplicem? **Med.**

Equidem familiæ non meæ te præfero. **Cr.**

O patria, ſubijt nunc recordatio tui. **Med.**

Qua nil ſecundum liberos mihi charius. **Cr.**

O amor, hominibus peſtis exitiabilis. **Med.**

Perinde